

men constituunt, sed substantialia iustificationis et saluationis communia sunt ecclesiae ante et post natum messiam, nec minus arcte coniunctus vel vnitus fuit Christo Abraham quam Paulus vel alij. Interea tamen constanter retinemus propositiones antiquitatis, Cyrilli et aliorum. Vnimur Christo non solum vnione spiritali, sed etiam corporali. Primum Christus est saluator 5 merito et efficacia. [20:] Sumus igitur iusti primum imputatione propter obedientiam Filij deriuantis in se poenam pro peccatis generis humani. Hunc meriti Christi in piis applicationem veteres saepe nominant praesentiam dilectionis. Causa vero impulsua est misericordia Dei remittentis peccata propter Filium sicut dicitur: „Sic Deus dilexit mundum“⁶³ etc. Atque eam 10 praecedere necesse est, sicut dicitur: „Iustificati fide pacem habemus“,⁶⁴ etc. Pater meus diliget eum et ad eum veniemus, id est habebit remissionem peccatorum et inchoationem vitae aeternae, sed altera pars iustificationis est sanctificatio vel praesentia efficaciae vel *κοινωνία* nostri cum Christo vel inchoatio vitae aeternae. Nam haec omnia tandem rem significant, vbi veris- 15 simum est, quod initur societas cum Christo secundum vtramque naturam. Ideo decretum de redemptione factum est, vt rursus vniamur toti diuinitati vnione spiritali et quia inter Deum et hominem lapsus ordo iustitiae non patiebatur, iniri societatem constitutum est medium, videlicet ipse Filius Dei mediator, qui massam naturae nostrae gestat. Inserimur igitur per fidem 20 ipsius naturae humanae tanquam surculi trunco, vt hoc modo ex sua massa in nostram, sicut dulcissime Irenaeus dixit, lux diuina propagetur,⁶⁵ vt talia in nobis fiant, qualia *λόγος* in sua humana massa efficit et vt agglutinati fide ex Christo hauriamus diuinam laeticiam et vitam. Ita per illam *κοινωνία* nostri cum corpore Christi vnimur cum tota diuinitate vnione spiritali. Et hoc mo- 25 do sicut Paulus inquit: „Omnia rediguntur ad vnum caput.“⁶⁶ Ex his perspicuum est, quomodo duplex nobis cum Christo sit *κοινωνία*, id est spiritalis et corporalis.

I. Spiritalis cum Christo et tota diuinitate. Nam Filius dupliciter considera- tur vt persona mittens et vt persona missa. II. Corporalis tanquam cum Chris- 30 to mediatore, cuius corpori inserimur, vt „diuinae naturae“, sicut Petrus inquit, „participes fieri“⁶⁷ possimus. Ad hanc nostram explicationem, cui neminem piorum retragari posse speramus, congruunt manifesta dicta scrip- turae: „Si quis diliget me“⁶⁸ etc. [21:] „Transformamur in eandem imagi- nem“⁶⁹ etc. „Christus redegit omnia in vnum caput“,⁷⁰ „Erimus similes 35

⁶³ Joh 3,16.

⁶⁴ Röm 5,1.

⁶⁵ Vgl. Irenäus von Lyon, Adversus haereses IV, 20, 2, in: PG 7, 1033 (FC 8/4, 158,1–4).

⁶⁶ Vgl. Eph 1,22.

⁶⁷ II Petr 1,4.

⁶⁸ Joh 14,23.

⁶⁹ II Kor 3,18.

⁷⁰ Eph 1,22.